DE
LONGINI QUI FERTUR LIBELLO
ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS DIE III. M. MARTII A. MDCCCLXX. HORA XI. UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AEMILIUS WINKLER
SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
G. BRÄUNING, CAND. PHIL.
A. LEHMANN, CAND. THEOL.

HALIS,
TYPIS ORPHANOTROPHEI.
[1870].

Longini qui fertur commentarius de sublimitate orationis inter eos numeratur, qui diutius et acrius criticos exercuerunt. Postquam superioribus saeculis haud paucae huius libelli prodierant editiones, unus e principibus philologorum Ruhnkenius operam ei salutarem impertiit. Sed studiosius nostris temporibus quaestiones de aetate commentarii plerumque neglectas multi Britannorum Gallorum Germanorum homines docti pertractare coeperunt ac de scriptore iudicia paulo liberius exprompserunt. Quamquam maior pars summatim et primoribus, ut aiunt, labris rem perstrinxit, ac multum afuit ut ulla quaestio fuerit ad finem adducta. Nuper tamen extiterunt, qui hanc disceptationem novis observationibus promoverent, Roeperum dico, Buchenavium, Vaucherum, optime de pretiosis illis antiquitatis reliquiis meritos. Quorum doctissimorum virorum inventis adiutus equidem cum ad rem eandem tractandam accesserim, hunc ordinem instituere disputationum placet: primum ut de scriptoris argumento dicam, deinde copiosius exponam, quantum illius auctoritati tribuendum sit, tum observationibus et indiciis collectis ut aetatem libri probabiliter investigem. His absolutis de critica libri conditione disserere libet.

Caput I.

De argumento libelli *Περὶ ὕψους*.

Prooemio declarat scriptor non de notione sublimitatis se disputaturum esse, sed de via, qua ad granditatem

orationis perveniatur. Quamobrem nihil habet antiquius, quam ut eorum errorem reiiciat, qui elate dicendi facultatem a sola ingenii indole proficisci, nihil arte et studiis ali opinentur. Quibus praemissis mediam in rem introducimur. Iam initium capitur a quibusdam vitiis, quae cum sublimitati vicinae sint, maxime debeant caveri: sunt autem haec: *τὰ παρατράγῳδα*, *τὸ οἰδεῖν*, *τὸ μειρακιῶδες*, *τὸ παθητικόν* et quod his oppositum habetur *τὸ ψυχρόν*. Huius frigidi sermonis exemplis totum quartum caput, satis illud amplum, continetur. Capite proximo talis orationis indignitas ex una causa deducitur, e studio novarum sententiarum. Porro exponitur, quibus in rebus cernatur sublime illud, declaraturque id altum ac magnum esse, quod quo diutius consideraveris, eo firmius haereat in mente et constantem memoriam afferat, quoniam semper et omnibus probetur. Deinde quinque ponit sublimitatis fontes, quorum duo priores fecundati facultatique ingenii attribuuntur, tres posteriores arti. Quae autem divinitus nata sunt, ea oportet ad magnitudinem ali. Est autem id enixe agendum, ut mens praeclaris optimorum scriptorum locis saepius legendis et perpendendis elatos spiritus sumat. Capite decimo alia causa disseritur sublimitatem efficiens, quae posita sit in opportunissimis quibusque eligendis et concinnandis. Id Sapphus carmen quoddam amatorium praeclare monstrat, apteque adiiciuntur admonitiones, ne in vitiosa delabamur. His autem expositis digreditur scriptor ad exaggerationem, quod genus cum sublimitate quodam modo coniunctum sit: quo loco laudabilis Demosthenis et Ciceronis comparatio interponitur. Ad feliciter vero progrediendum in dicendo et scribendo commendatur optimorum scriptorum imitatio. Iam sectione XV. secundus fons sublimitatis, qui quidem eius efficacissimus est, aperitur. Atque sapienter rem instituit scriptor, ut qualis quantaque esset vis cogitationis, locis illuminaret illustribus et ab optimis poetis atque oratoribus petitis. Figuris explicandis inde a sectione XVI intentus copiosius disserit, quam se facturum esse declaraverat:

paucas enim tantum se percursurum promisit. Figurae autem, quas explanandas sibi proposuit, gravitate mirum in modum differunt. Sectione XXX de delectu propriorum et splendidorum verborum sermo fit. Extremae vero parti praemittitur explicata illa quaestio, num magnitudo cum peccatis nonnullis iuncta praestet mediocribus ingeniis, in quibus omnia recte procedant, omnia sana sint et errore vacent; eumque locum illustrant eximiae comparationes scriptorum ad hanc sententiam pertinentes. Quintum genus tractat inde a sectione XXXIX adiectis praeceptis, quae ad comminuendam orationem faciant.

Postquam totum libelli argumentum exposui, animum advertere libet ad nonnulla prae ceteris spectanda. Videamus primum, quaenam attulerit scriptor ad sublimitatem orationis definiendam. Permultum sane tribuit ille sublimitati, dicens hanc esse summam orationis virtutem, unde primae deferentur ad scribendi laudibus insignes. Vim granditatis cum fulmine comparat. Satis autem huius generis praestantia inde repetitur, quod non persuadet sed obstupefacit: quod quidem efficitur admirabilitate insita. Quibus excellat grande illud genus, sectione septima dilucidis verbis aperit, statuens tanta vi praeditum esse, ut unius animum non capere et plane occupare non possit. Itaque quidquid legentes magnitudinis sensu afficit eorumque mentes incitat ad propositum diutius spectandum continuandum amplificandum, id suo iure granditatis laudem sibi vindicat. Hoc vere magnum est, quod cogamur diutius contemplari, quod identidem revocatum perpetuam et quam dimovere nequeas sedem in hominum animis collocet. Quamobrem refragatur Caecilio sublimitatem et commotam orationem unum idemque esse putanti, quasi utrumque natura semper coniunxerit. Quod aliter habere se exemplo quodam Homerico illustrat admovitque ipse orationes laudatorias omninoque eas, quae ornatum et artem ostentant. Nec vero minus eius de illo genere dicendi iudicium planum fit ex iis, quae de vitiis erroribusque iudicavit. Facile

enim fieri solet, ut qui sublimitatis appetentes sint aut culpa ingenii talem facultatem non attingant aut nimio et inepto ardore animi aut solo argutiarum spinarumque aucupio in vitia orationis a sublimitate aliena deferantur. Et quattuor quidem vitiosa genera deinceps enumerat. Quod frigidum vocatur, ei absurdum quiddam et inane inest, ita ut vel ii, qui facilius decipiantur, pravitatem statim deprehendant. Cetera autem genera ea de causa a sublimitatis laude segreganda scriptori videntur, quod inepto tumore et puerili affectatione non horrorem illum et stuporem a nimia admiratione profectum efficiant, sed contemptionem et risum. Etenim id semper tenendum praecipit, si quis inanis affectationis vituperationem fugere cupiat, verba rerum tractandarum naturae adaptanda esse. Notamus autem exaggerationem a scriptore seiungi, sed ita quidem, ut suo loco recte probetur. Differt autem a sublimitate, quod magnitudinem ubertatemque cum celsitudine coniunctam prae se ferre debet. Sed haec hactenus de sublimitatis notione a scriptore prolata. Praevertor ad ea enumeranda, quae vias ac rationes monstrent, quibus ad illud ὕψος perveniatur. Nam quinque huius virtutis fontes scriptor observavit, quorum priores duo insitae ingenii naturae facultatique assignandi sint, tres posteriores arte et usu comparentur. Horum autem fontium descriptione, commendatione, adiumentis, subsidiis altera maior libelli pars continetur. Inde a sectione XI scriptor studet demonstrare, quo modo, si quis bona indole instructus sit, ingenium ad magnitudinem evehere debeat. Tres autem rationes illi se offerunt magnitudinis ingenii et effectrices et altrices, quarum una est insita natura — non enim humili sensu debet esse perfectus orator —, altera optimorum scriptorum imitatio, tertia phantasia. Locos profert satis multos.

Magni momenti videntur scriptori esse figurae, quas ad sublimitatem efficiendam conferre dicit. Ita fit ut et magnus figurarum numerus in medium proferatur et explicetur adiectis causis atque locis illustribus. Haud raro

idem praecipit, quo modo adhibendae sint figurae. Huc referas, quod primo huius partis capite monet, non quodlibet iusiurandum sublime esse; illud videndum, ubi, quomodo, quo tempore vel qua de causa quis iuret. Pariter monet, ne quis affectum quendam in orationem inferre cupiens rationem Isocratis amplectatur, qui largo particularum usu aequabilem dictionem reddat: sic enim retardari, qui ad sublimitatem aspirent. Porro si quis excitando legentium ardori intentus ita narrare velit, ut res ipsa geri videatur, iis suadet permutationem temporum aut personarum — scilicet ut auditores quasi media in pericula vel labores traducantur —, aut subitum neque verbis quibusdam praeparatum ad aliam personam transitum. Has vero figuras excipit periphrasis, quam utilissimam sane iudicat scriptor, sed ita quidem, ut nisi urgente necessitate non usurpetur. Abusus enim orationem efficit plane contrariam. Minus copiose de delectu verborum, qui quarto loco positus est, videtur explicatum, atque dolendum quod locus lacuna mutilatus ad nos propagatus est. Ceterum commemorandum, verba facta et inusitata eaque male ad aures accidentia minime respui, dummodo rei describendae satis conveniant. Sectione XXXVIII repetitur, quod saepius dictum est, esse cavendum, ne quis modum excedat, quoniam nimis intenta in contrarium plerumque vertuntur. Idque Isocratis illustratur exemplo, qui haud raro res augere cupiens ad puerilia delapsus est. Eae vero scriptoris opinione optimae sunt figurae, quae a rerum magnitudine profectae propter ipsam argumenti gravitatem delitescunt. Quodsi quis ad audaciam in dicendo evehatur, niti debet rebus ad percellendum affectumque excitandum accommodatis. Huc igitur pertinet, quod in comoediis quae fidem excedant minime offensioni sunt: risus enim inter affectus numerandus. Sed quum una aliqua figura non ita magnam vim habeat ad gravitatem, plurium membrorum compositio magnitudinis maior effectrix iudicanda videtur (Sect. XL). Sub exitum libelli de tribus sublimitatis impedimentis monet, quorum

unus est numerus fractus et concitatus; etenim nimis numerosa oratio legentes a re perpendenda abducit ad ipsum numerum. Alterum est dicendi genus nimis concisum — haud raro brevitas laudabilis est et exoptata. Tertium, quod sublimitatem imminuat, est usus humilium verborum.

Nec vero, qui insignem illum *Περὶ ὕψους* librum composuit, talis est, qui praecepta et regulas dare queat, non item causas ac rationes iniungere, quibus quodque decretum fulciatur. Immo copiosus est et argutus in demonstrandis confirmandisque iis, quae praecepit. In quo negotio solet e duobus potissimum fontibus haurire, ex humanae mentis natura atque condicione et e similitudinibus quibusdam, quas suppeditat rerum natura aut ars humana. Minime autem cuiusquam critici placitis addictum sese praebet. Itaque Caecilium saepius refutat et quam rhetores tradebant exaggerationis definitionem reiecit, interdum etiam ab Aristotele vel Theophrasto dissentit. Explanandis sententiis quamquam studiose operam dedit, tamen meritis suis quasi cumulum adiunxit, quod locis satis multis singulas commentationis partes illustravit et planiores ad intelligendum reddidit. Loci autem plerumque ex iis scriptoribus desumpti sunt, qui summam sibi scribendi laudem comparaverant, ex Homero, Platone, Demosthene, Thucydide, quos prae ceteris admiratur. Trium vero illorum in tragica poesi principum rarior fit mentio, item ut Aristophanis comici. Neque vero negligitur Euripides, a quo celsitudinem animi quamquam abiudicat, tamen concedit illum ingenii ardore commotum saepius ad sublimiorem orationis habitum provectum esse; eiusdemque laudantur descriptiones furoris et amoris verissime plerumque expressae. Lyricae poesis monumenta multis locis advocantur, sed brevissima sunt exempla. Laudem satis largam tribuit Xenophonti, Herodoto, Isocrati, nec tamen cum principibus illis, quos modo attuli, comparavit. Xenophontem quidem semel inter praestantissimos scriptores collaudat adiunxitque Platoni; at in aliis locis minus honorifice de Xenophonte sensisse facile licet coniectare.

Haec hactenus de argumento libelli; de quo, quid iudicandum sit, iam videamus.

Caput II.

De pretio libelli.

Utilissimam fuisse operam in his de sublimitate orationis quaestionibus navatam nemo facile negaverit, si quam difficile sit de tali re iudicium exercere reputet. Nempe qui de grandi genere recte sentire cupiat, is tanta ingenii vi ac facultate praeditus esse debet, ut, quo tendat sublimitas perspectum habens quid de singulis locis iudicari debeat, constituat et vera a falsis secernat. Quorum existimatorum quanta paucitas omni aetate fuerit, nemo nescit. Ex omnibus autem antiquitatis monumentis hic unus de hac quaestione superest commentarius. Nam idem argumentum qui sibi sumpserat tractandum Caecilius, eius paucae feruntur reliquiae. Antiquorum autem temporum nullus rhetor hanc materiam tractavit; ac ne Aristoteles quidem hanc doctrinam attigit. Quid mirum igitur quod superstes de sublimitate libellus semper plurimi habitus est; praesertim cum praestantia compositionis eum commendet. Quae quo melius intelligatur, primum placet universe de argumento disputare, deinde certa quaedam capita illustrare, postremo de oratione nonnulla adiungam. — Quam larga sit materia a scriptore suppeditata, supra vidimus. Nam et sublimitas orationis quid sit, copiose exponitur et praeceptis satis multis via munitur ad altiorem facultatem consequendam. Porro, quod maximopere laudandum, argumentationes adiectae sunt ad persuadendum valde accommodatae et loci ex variis scriptoribus sumpti. At vero quamvis eximie versatus sit scriptor in exponendo primario orationis genere, tamen id inepte instituit, quod diversas explicandae quaestionis partes non satis disiunxit alienaque saepius, quae

alium locum poscerent, immiscuit. Imprimis quae pertinent ad definitionem sublimitatis, ea dispersa sunt, ita ut opinionem auctoris plane cognoscere cupienti diversis e locis colligenda sint. Huc accedit quod notionem ipsam grandis orationis liquidam minus curavit; immo quae veram sublimitatem ostendunt iis interposuit, quae minoris momenti habenda sunt. Debebat autem ita procedere, ut quibus in rebus cernatur vera sinceraque illa granditas, doceret. Haec igitur praemittenda fuisse mihi videntur. Vera sublimitas a sententiis grandibus repetitur. Grandes autem sublimesque sententiae eae sunt, quibus legentium ingenia alantur fortiter excitata et animi ad honestum et decorum inflammentur. Etenim sublimitas honestatem humanitatemque in recessu habet neque potest oratio honestis consiliis parum intenta pro grandi existimari. Talia scriptorem esse secutum, quae non satis certo ordine proposuerit, facile declarabit locorum recensus. Quantum tribuerit ingenii facultati, illud arguere potest, quod felicitatem ingenii primarium ad locum erexit (IX, 1). Nec vero minus, qui composuit hunc libellum, magnitudinem animi et omnem honestatem requirit; velut IX, 1 *ὕψος μεγαλοφροσύνης ἀπήχημα γέγραφά που;* alio loco negat perfectum oratorem humili et illiberali animo esse posse. Quamobrem iis sublimitatem assignat, qui elatis altisque sint animis. Nihilominus has duas facultates, ingenii felicitatem et animi celsitudinem, magis respici oportebat, quibus robur nervique sublimitatis gignuntur. Quae enim ingeniose composita sunt eademque rectum celsumque scribentis sensum produnt, ea vim habent illam, quam impertit scriptor sublimitati altera sectionis septimae parte. Contra in libro II. Y. granditatem late patentem vides nullo sublimium locorum, quorum magnum numerum adhibuit, discrimine facto atque explicato. Mihi quidem inter eam sublimitatem, qua absconditae ac gravissimae sententiae pariantur virtutesque commendentur, et eam quae res miras verique dissimiles delectandi causa fingit, plurimum videtur interesse. Sed infirmam et incertam sub-

limis dictionis definitionem inde ortam opinor, quod scriptor magis affectum respexit, quam de ipsa illius virtutis natura quaesivit. Nec vero quidquid altum est a consensu hominum, qui facile erroribus ducuntur, pendere oportet. Neque minus improbamus illius de affectibus sententiam: siquidem *πάθος* est ardor animi, quo homines probi in commendandis utilibus et honestis rebus tenentur. Quodsi quis animo elato caret, ad sublime genus aspirare nequit. Neque veriora esse videntur, quae de locis dicta sunt omni affectu destitutis (VIII, 2). Non ardorem vero, sed perturbationes animi intelligendas esse demonstrat locus ille eiusdem capitis, ubi misericordia, tristitia, metus commemorantur. Illi enim affectus humiles vocantur, qui a sublimitate abhorreant. Sed ne eos quidem qui contrariis affectibus, gaudio fortitudine hilaritate permoventur, ad granditatem orationis videmus accommodatos esse. Porro nimium tribuit affectibus, qui celsis sententiis excitentur. Sane si quid elatius et sublimiter dicitur, quum accuratam meditationem requirat, fieri solet, ut animi ad tempus obscuro quodam sensu teneantur. Nec tamen sine hoc effectu granditas orationis cogitari non potest; nec raro legentes nulla perturbatione impediti scriptorem sequuntur. Contra rationes, quibus sublimitas efficiatur et sublevetur, recte diiudicat, ante omnia et ingenii indolem adiuvandam et animi magnitudinem excitandam esse censens. Ac duo potissimum sunt subsidia, unum magnorum scriptorum imitatio, alterum imaginatio. Recte vero multorum vitiorum causam a studio novarum sententiarum repetit. Manifestum est animum rei tractandae magnitudine prorsus occupatum omnia quaesita, quae propter solam speciem captentur, aspernari.

Iam attingamus reliquam libelli partem. Quae quod latius in doctrina trium fontium ex arte pendentium versatur, non displiceret, modo illa nihil esse nisi ornamenta, quae minime veram sublimitatem efficiant, pronuntiasset. Gravissimae item sunt comparationes et imagines et translationes. Quidquid enim sapienter et alte excogitatum est,

id commmuni dicendi genere indui non patitur: gravitas autem delectatione compensatur et faciliorem reddit intellectum.

Sed haec hactenus de totius argumenti distributione; iam videndum, qualem in singulis rebus explanandis se praestiterit scriptor. Omnino summa eum laude dignissimum duco. Noluit enim in praeceptis formandis acquiescere, quod plerique rhetores solent, sed studiose operam dedit, ut sententias suas explicando ad liquidum perduceret. In quo licet ingenium agnoscere multiplici rerum cognitione abundans et iudicium fructuosis optimorum scriptorum studiis excultum. Nequaquam enim eadem ratione in placitis demonstrandis usus est, sed variis modis suas rationes explicans taedium evitavit. Longum est illustres locos proferre eorumque praestantiam singulatim monstrare; paucis igitur defungar. Sectione II causas eorum refutat, qui a naturali facultate plane suspensam sublimitatem, arte vacuam esse putarent. His opponit ipsam naturam, liberam illam quidem, legibus tamen certis astrictam; arte dicit nos edoceri quae a natura data sunt, ut iis sapienter et cum utilitate possimus uti. Conspicuus est locus, ubi adhibito dicto Demosthenis *τὸ εὐτυχεῖν* cum ingenio fecundo comparat, quod quidem naturae donum est, *τὸ εὖ βουλεύεσθαι* iis, quae arte suppeditentur. Sic effecit ut disciplinae utilitatem ad consequendam sublimitatem lector bene perspiciat. Pariter eminent illa (sect. VII) quae effectum grandis orationis depingunt. Ut enim demonstret vanam esse facundiam non ab insita animi elatione profectam, similitudinem fluxarum rerum affert, velut divitiarum, honorum, gloriae, imperii. Porro praeclare describit, quo modo animus vera granditate afficiatur: gaudio eum repleri pronuntiat, quasi ipse protulerit audita. Debet autem summa illa sermonis virtus animo magnitudinis sensum iniicere et cogitanti materiam amplissimam praebere, donec menti inhaereat, nec memoria deleri queat. Inde suspicari licet hunc magistrum acutissimum fuisse naturae humanae existimatorem. Eodemque pertinet ille locus (sect. IX), ubi sublimitatem artissimo

vinculo cum magnitudine animi coniunctam esse docet, negans illa virtute destitutum gignere posse, quae temporum finibus non circumscribantur.

Non sine iucunditate quadam moratur in expedienda sublimitatis et exaggerationis diversitate. Nempe sublimitas in sola sententiarum magnitudine cernitur, exaggeratio non minus in multitudine et ubertate; quam qui sequitur, diutissime singulis in rebus immoratur. Hic speciosam maris in immensum spatium diffusi imaginem ascivit. Porro prudenter de figuris suspiciones iudicum excitantibus iudicavit, usus similitudine lucis, quae prius oculis quam umbra in eadem tabulae superficie offunditur. Item sectione XXII comparationem adhibuit rei naturae convenienter, ubi hyperbaton exprimendis vehementioribus affectibus accommodatum esse tradit, quasi per iram vel metum vel indignationem animi tanquam procella iactentur. Iam quaenam sint causae, cur magna et sublimia ingenia saepius in vitium incurrant, minuta gravi peccato vacent, id dilucidis verbis enucleavit, praecipuam causam repetens a solicitudine mediocrium ingeniorum, quae nunquam se periculis obiiciant. Haud inepta figura monet humiles oratores altum mare reformidare. Locus autem insignis memoriaque dignissimus exstat in sectione XXXV, ubi summo vigore de insita menti cupiditate magnitudinis ac granditatis agitur, exemplis e rerum natura sumptis maxime idoneis. Denique sublimis est scriptor in querelis illis, quibus depravatos suae aetatis mores deplorat.

Iam ad augendam libelli iucunditatem utilitatemque confert, quod commode loci communes adiunguntur. Maxima vero scriptoris industria cernitur in testimoniis satis largis et scienter electis. Profecto debemus admirari virum in perlegendis et perpendendis veterum scriptis versatissimum! Omnium maxime Homerum, Thucydidem, Platonem, Demosthenem amore amplexus, ad quos legendos suo exemplo incitat, e diversorum etiam generum scriptoribus collegit, quae ad explicandas regulas ac praecepta facerent.

Quanta iudicii subtilitate praeditus fuerit anonymus, optime comparationes scriptorum ostendunt. Non enim mediocris fuit ingenii differentias, quae viderentur inter certos quosdam intercedere scriptores, manifestis notis confirmare easque perspicue demonstrare. Hoc autem difficillimum negotium saepissime scriptor suscepit. Prae ceteris Ciceronis et Demosthenis collatio videtur eminere, quam imaginibus splendidis illuminavit. Postremo lepore quodam iudicia sua distinxit. Minime enim ita vitia aliorum perstringit, ut cupidius in eos invehatur, sed urbanitate quadam gratissima doctrinam temperavit.

Caput III.

De aetate libelli.

Initium quaestionis de aetate scriptoris inde ab eo tempore repetendum est, quum Amatius (a. 1808) unum e codicibus Vaticanis inscriptum esse „*Διονυσίου ἢ Λογγίνου*“ indicavit. Hinc quamquam in diversas partes critici discesserunt, inscriptionis ambiguitate commoti, claros tamen viros constat fuisse, qui minime dubitarint tractatum Π. Ύ. Longino, clarissimo tertii saeculi scriptori, vindicare: velut G. Hermannus, Schaeferus, Orellius. Beckius autem negabat certam argumentationem effici posse, qua commentarius ab Longino abiudicaretur. Similiter Boissonadus ad liquidum deduci posse rem negat, monens tertio saeculo favere locum a Bibliis petitum, idem tamen miratus quod nullius rhetoris aut philosophi mentio fiat, qui secundo et tertio p. Chr. n. saeculo floruerit. Eggerus cum diutius dubitasset, anno 1849 ad retinendum Longinum rhetorem proclivis fuit, reperto loco Ioannis Siceliotae quodam. Omnium autem maxime partes illius Longini tuitus est Wolfius, quamquam huic commentario laudem a plerisque tributam minus concedit, plura ratus inesse tertio saeculo propria,

quam quae cadant in Augusteam aetatem. Nec tamen defuerunt, qui quam debilis sit fides vulgaris opinionis cum perspicerent, firmiora aetatis indicia quaererent. Iam qui primus inscriptionem Vaticani prodiderat Amatius coniectat auctorem fuisse Dionysium Halicarnassensem. Neque miramur, quod coniectura temere facta acerrimam doctorum hominum reprehensionem evocavit. Nec minus concidit opinio Weiskii, qui Dionysium Pergamenum commendavit, qui temporibus Imperatoris Augusti docuit. Contra Knoxius, audacissimus commentorum suasor, capita haud pauca censet eiicienda. Tandem Naudetus summa scriptoris admiratione captus adeo praestare putat elegantia sermonis, ut primis Caesarum temporibus ascribi debeat.

Inter eos autem, qui multum contulerunt ad quaestionem expediendam, numerandus est Roeperus *): is enim cum duobus potissimum locis niti solerent Longini Neoplatonici sectatores, quorum unus extat sect. IX „*Εἶπεν ὁ Θεός, φησί* (scil. *ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης*) *τί; „Γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ καὶ ἐγένετο,*“ alter sect. XIII „*Μόνος Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο; Στησίχορος ἔτι πρότερον ὅ τε Ἀρχίλοχος, πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων, ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ ἐκείνου νάματος εἰς αὑτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποχετευσάμενος. Καὶ ἴσως ἡμῖν ἀποδείξεων ἔδει, εἰ μὴ τὰ ἐπ' εἴδους καὶ οἱ περὶ Ἀμμώνιον ἐκλέξαντες ἀνέγραψαν* utrumque testimonium refutavit, allatis rationibus firmissimis. Primum enim quis facile crediderit Christianum vel Iudaeum, qui in libris sacris versatus orationem a tradito textu plane alienam statim deprehendissent, additurum fuisse „*γενέσθω γῆ καὶ ἐγένετο.*“ **) Neque minore specie veri removit Ammonium Saccam philosophum, monens Ammonium Alexandrinum eum significari, qui sub finem saeculi secundi

*) Philologi T. I, p. 360.

**) Non silendus Spengelius, qui in gratulatione ad Fr. Thierschium missa p. 8 additamentum censet e margine perperam in locum alienum 10 invectum esse.

a. Chr. n. Alexandriae floruit. Etenim si reputamus universum locum in Platone Homeri diligentissimo imitatore versari, nemo dubitet illum grammaticum agnoscere, qui librum composuerit *περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου.*

Roeperi disputationem continuavit qui summam diligentiam et sollertiam ostendit in diiudicanda hac quaestione Buchenau, Casselanus. Huius prodiit libellus copiosus, inventa superiorum complexus propriis rationibus aucta, de scriptore libri.*) Ac primum demonstravit vacillare famam de scriptore praeclari commentarii. Vetustissimam enim *Διονυσίου ἢ Λογγίνου* inscriptionem exhibet codex Parisinus, qui ceterorum unicus est fons, decimo p. Chr. n. saeculo conscriptus. Apparet ipsum librarium de eo, qui composuit libellum, dubitasse. Huc accedit quod in codice bibliothecae Laurentianae inscribitur liber *Ἀνωνύμου περὶ ὕψους*. Deinde tres adversariorum rationes a certis libri locis profectae feliciter reüciuntur, qua in demonstratione partim praeeuntem habuit Roeperum. Porro qui scrupulus ad vocem *ἀλληγορία* refertur, quam ante Plutarchi aetatem non usurpatam fuisse primus observarat Ruhnkenius in Tim. Lex. p. 144, aliiqui probant illius auctoritatem secuti, is admotis Ciceronis et aliorum locis corruit. Tum impugnat Buchenau illorum sententiam, qui libellum ab Longino abiudicatum ad initia Caesarum revocarent. Amatius enim, quem supra memoravimus, tractatum Dionysio Halicarnassensi tribuit, Weiskius Dionysio Pergameno. Dionysius autem Halicarnassensis commentarium non composuit, quinque minimum obstant causae. Primum ille dicendi genere differt, siquidem orationem libri Π. Υ. grandem et virilem apparet ab eo prorsus alienam esse. Deinde repugnant verba in sect. XXXIX *ἐν δυσὶν ἀποχρώντως ἀποδεδωκότες συντάγμασιν,* ubi memoria hic duorum librorum non cadit in illum

---

*) *περὶ ὕψους*, Marburgi 1849.

scriptorem qui unius commentarii *περὶ λόγων συνθέσεως* auctor extitit. Sed neque hoc opusculum neque cetera commenticii Longini scripta, in libro Π. Υ. commemorata, inter Dionysii Halicarnassensis libros enumerantur. Tum vero, si tempora Dionysii Halicarnassensis respicimus, disconveniunt querelae, quae sub exitum funduntur de oratorum bonorum inopia, de libertate amissa, de oppressa philosophica disciplina. Denique non potuit commemorari Neronis colossus, nani, Theodorus Gadareus.

Prorsus autem mihi probavit quae contra Ruhnkenium et Walzium disseruit, suspicantes hunc commentarium in opere vastissimo Longini *Φιλόλογοι* suum locum obtinuisse. Confert vero Ruhnkenius istam inscriptionem cum illa Varronis Loghistorici et Hieroclis *Φιλίστορες*, ac titulum ad variae eruditionis studiosos spectare censet. Sed hanc opinionem labefactat scholion vetustum a Bastio repertum, Weiskio transmissum. Extat illud in praestanti codice Pariensi, qui continet Hermogenem. Huius verbis *ὡς τὸ στομφάζειν* scholion ascriptum invenit: *Στομφάζειν] τὸ στόμα διανοίγειν καὶ ἦχον ἀποτελεῖν, ἀπό τε τοῦ στόματος καὶ τοῦ ὄμφακος. φησὶ δὲ Λογγῖνος ἐν κά τῶν φιλολόγων ὁμιλιῶν περὶ λέξεως στομφώδους* et quae sequuntur.

Huius igitur scholii auctoritas evincit, *φιλόλογοι* non masculini sed feminini generis esse, sic ut *ὁμιλίαι* cogitetur. Quid vero? Liber sermones tradens doctorum hominum, qui de varia doctrina disserendi causa convenerant, quo pacto inclusum habere potuit commentarium Π. Υ. et amplum et qui certum argumentorum ordinem sequatur, non fortuitum disputandi cursum, et quem ipsa dedicatio singularem et integrum esse demonstret? Iam postquam satis cognita est opinionis Ruhnkenianae debilitas, quattuor causas a Buchenavio allatas sane speciosas in medium proferam. Ac primum quum non recensionem plenam antiquitatis scriptorum contineri *Φιλόλογοι*, sed sermones quosdam philologorum, ad nihilum redigitur quod negarat Ruhnkenius praeteriri potuisse Xenophontem. Deinde locus Ioannis Sice-

liotae differt ab eo qui fertur Longino, quamquam uterque ex Orithyia, deperdita Aeschyli tragoedia, sumptus est. Tum tractatus de sublimitate omni ex parte perfectus et consummatus est. Denique verbum *στομφώδης* non invenitur in toto commentario, verbum simplex *στόμφος* bis legitur. Haec mihi sufficere videntur ad reiiciendam illam coniecturam, quae possit aliquantisper Longinum Neoplatonicum commendare.

Iam rationes expendamus, quibus Buchenavius adductus commentarium negat tertio saeculo natum fuisse. Quodsi concedimus, multas easque utilissimas observationes ab eo prolatas esse, tamen id minus prudenter instituisse videtur, quod cardinem totius quaestionis neglexit, siquidem primarium habetur, quidquid e libelli Π. Υ. et fragmentorum Longinianorum comparatione efficitur, secundarium vero quidvis extrinsecus petitur. Quapropter miror quod differentiam orationis ac sententiarum diversitas a Buchenavio leviter degustatur. Satis enim habuit elato huius commentarii sermoni siccitatem orationis et tenuitatem ac prope perversam mysticamque philosophiae Neoplatonicae superstitionem opposuisse. Nihilominus multitudine doctarum observationum bene meruit Buchenau; melius ille meriturus, si graviora severius a levioribus seiunxisset.

Iam deinceps eius rationes cognoscamus, quibus maius pondus inesse videtur. Nolumus autem iterare, quae de ambiguitate inscriptionis et debilitate trium causarum a Longini Neoplatonici sectatoribus prolatarum disputavit. Maioris momenti sunt haec. Qui res difficiles et graves, quales in libello Π. Υ. continentur, explicare conatur, is a minutis exilis doctrinae quaestionibus abhorret. Accedit quod levissima Longini scripta recensentur, praestantissimi libri Π. Υ. neque apud Suidam neque apud Porphyrium neque apud alios ulla fit mentio. Huic argumentationi cur nihil obsit Ruhnkenii suspicio, qui commentarium illum pro particula vasti operis *Φιλόλογοι* habuerit, supra dictum est. Neque negligendum est, quod vidit ne

Hermogenem quidem ab hoc scriptore commemorari, quamquam iisdem studiis intentus saeculis posterioribus normae instar habitus est.

Sed alia minorem vel levem vim habent. Quid quod tres ratiunculas ipse Buchenau levissimas duxit, quarum una spectat ad nanorum sive Pygmaeorum memoriam. Scilicet talia tertio quoque saeculo licuit commemorari. Quod autem e dubitantis formula *εἴγε τοῦτο πιστὸν ἀκούω* putat concludi posse, minus me movet reputantem, quam apte crudelitas vix credenda depingatur. Neque verius, ubi comparatur Plato cum Homericis, contendit appellari debuisse Telephum Pergamenum, quem Suidas opusculum *περὶ Ὁμήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας* scripsisse tradit. Nimirum qualis iste labor fuerit iam deperditus, hodie nos ignoramus. Inter minores rationes numeramus etiam offensionem, quam Pythia vaticinans ei praebuit, siquidem inde ab aetate Domitiani responsa edere desierit. Porro quod scriptorem sibi proposuisse videt Buchenavius, ut Caecilium omni modo refutaret, non temere factum esse pronuntiat. Mihi quidem id satis inde visum est explicari posse, quod Longinus unum Caecilium sibi praeeuntem habuit in disputationibus de sublimitate.*) Postremo quod e figurarum divisione memorata neque adhibita colligit, id per se minus valere manifestum est.

Buchenavium excepit Vaucherus, professor Genevensis: is spatio sex annorum interiecto editionem adornavit, qua et liber Π. Υ. et fragmenta Longiniana graece cum gallica versione continentur, praemissa dissertatione de libri temporibus.**) Ac laudabili mihi videtur opera cum depin-

---

*) Buchenavio partim Jahnius assentitur in ephemeride quae Hermes inscribitur II, p. 239, cf. Blass Griech. Beredsamkeit p. 192. Constat enim Caecilium post primum saeculum raro lectum fuisse ac paulatim in oblivionem abisse. Quamobrem consentaneum videbatur talem scriptorem nisi ab aequale vel suppare tanta quam ostendit Longinus contentione virium non impugnari potuisse.

**) Vaucher Études critiques — sur le traité de Longin, Genève 1854.

xisse litteras tertii saeculi, tum Longini discendi docendique curriculum explanasse. His adiunxit narrationem de hominibus doctis, qui per saeculi huius dimidium de Longino quaestiones instituerant, eorumque merita vel errores diligenter est persecutus. Is Buchenavianae dissertationis ignarus propriis curis ad multa perductus est, quae cum inventis nostratis congruant. Idem cum opinioni pervulgatae de libelli auctore propter inscriptionis ambiguitatem omnem fidem derogasset, novis rationibus scriptorem a tertio saeculo ad primum revocavit, abiectis Amatii et Weiskii commentis. Nec tamen eandem viam demonstrationis tenuit, quam Buchenavius ingressus erat. Ac potissimum se convertit ad investigandam sentiendi iudicandique magnam diversitatem, quae inter hunc tractatum et fragmenta Longiniana intercedit, et ingeniosis observationibus quaestionem non mediocriter promovit. Itaque laude dignus est Vaucherus, qui quibus differant libelli Π. Υ. scriptor et Longinus, certis indiciis declaravit. Aliter enim sentit Longinus de figuris earumque usu, de hyperbato quod vocatur, de sophistis eorumque meritis. Alium igitur et dissimilem finem in mente habuit, ubi perlegi iubet magnorum poetarum, oratorum, philosophorum, rhetorum scripta, neque ut altis excelsisque eorum sententiis animus imbueretur (huc enim spectat auctor libelli Π. Υ.), sed ut studiosus eandem scribendi perfectionem consequeretur. Idem de quibusdam litterarum principibus iudicia protulit ab clarissimis qui fertur Longini sensibus prorsus aliena. Hic quum summo Homeri, Thucydidis, Platonis, Demosthenis studio atque amore teneatur, e fragmentis discimus septem scriptores Neoplatonico normae instar fuisse, nominatim Lysiam et Isocratem. Porro aliud apud Longinum significant notiones *ἀλληγορία* et *αὔξησις*, aliud aqud eum, qui explanandae orationis sublimitati operam dedit. Minus probabilis videtur ratio, quam ad demonstrandam aliorum verborum formularumque discrepantiam iniit Vaucherus. Tandem remotis multis difficultatibus miror quod in errorem abreptus est prorsus impugnandum. Eo enim

delapsus est, ut Plutarcho honorem huius de quo disputamus commentarii attribueret. Talis suspicio hactenus levem habet speciem, quod Plutarchus in legendis veterum scriptis permultum versatus erat. Sed diutius consideranti multae debent dubitationes nasci. Primum enim vix fieri potuit, cum tot exilis argumenti libri a Plutarcho compositi memorarentur atque propagarentur, ut hic praeclarus et admirabilis commentarius in nullum indicem operum Plutarcheorum referretur. Deinde repugnat illius ingenium et consilium quod Plutarchus in libris suis componendis sequi solet. Etenim inter omnes constat omni virium contentione eum elaborasse, ut et perscribendis magnorum virorum vitis atque virtutibus et tractandis quaestionibus gravissimis, quae moralem philosophiam et sapientiam complectuntur, animos popularium suorum ad patriae caritatem et pietatem revocaret ac, si posset, etiam corruptos aequalium mores corrigeret. Potissimum tamen illuminandis Graecorum rebus gestis, quibus inesset vis ad inventutem inflammandam, operam dabat diuturnam. Num vero credibile fit eum qui munus in difficillimum multam doctrinam et ingenii facultatem conferebat, etiam sententias poetarum, philosophorum, oratorum subtiliter diiudicandas sibi sumpsisse? Nimirum ita fert virium humanarum, qua vel summa ingenia inhibentur, infirmitas, ut uno quopiam munere explendo toti occupemur. Inveniuntur sane apud Plutarchum de permultis scriptoribus iudicia: at vero mirum quantum ea distant ab ardore et sublimitatis sensu quem spirat commenticius Longinus. Atque haud scio an Plutarchus, si tali materiae operam navasset, multo plures locos ex historicis excerpturus fuerit. Sed in quo cardo totius disceptationis versatur, quantumvis in vocabulorum formularumque tabulis parandis sudarit Vaucherus, cum genus dicendi tum compositionis ac sententiarum formandarum rationes vehementer discrepant. Omnino quam Vaucherus sibi visus est deprehendisse sentiendi ac iudicandi similitudinem, eam, credo, propius intuentes vix agnoscent.

Iam vero, quum scriptoris nomen adhuc doctissimorum hominum notitiam fugerit, quumque reiectae sint Ruhnkenii, Amatii, Weiskii, Vaucheri de scriptoris temporibus constituendis opiniones, equidem pro virili parte horum operam sic supplere conabor, primum ut ordine quodam ea proferam, quibus saeculum libri designetur, deinde collectis indiciis ut aetatem angustioribus terminis definiam.

Minime mihi est dubium quin libellus Π. Υ. ad primum p. Chr. n. saeculum debeat referri.*) Id quibus causis ac rationibus adductus sentiam, iuvat singulatim explanare. Iam ita procedam in argumentatione, ut ab iis exordiar, quae maiorem persuadendi necessitatem habeant et totam quaestionem perficere possint; deinde proponam quae cum sola probabilitate commendentur, tamen ad summam aliquantum conferant.

Cum animo complector singula temporis vestigia, quattuor reperio causas primarias, unam positam in argumeuto, quod ipsam aetatem manifesto prodat, secundam in oratione plane a Longini fragmentis abhorrenti. Sequitur tertium argumentum, quod quae ad nos propagatae sunt Longini reliquiae prorsus aliam ingenii facultatem monstrant quam haec de sublimitate orationis disputatio. Quartum addere licet, quod sub finem libelli de universa pace verba fiunt, cum Imperatoris Aureliani aetate diversis in regionibus bella imminerent.

Litterarum natura et condicio ita fert, ut perpetuo motu vices subeant incredibiles aliisque temporibus aliam faciem induant. Nec mirum, nam quidquid invenitur aut cognoscitur aut amplificatur, facit, ut cultus ingeniorum mutetur. Praeterea ipsorum hominum voluntates, studia, officia temporum decursu variantur, itemque universus rerum publicarum status magnam ad artium progressus vim habet. Quod cum de disciplinis universis valet, tum maxime qua-

---

*) Eandem sententiam pracierat Bernhardy Hist. litt. Graec. T. I, p. 577

drat in artem antiquorum temporum rhetoricam, quae ab his condicionibus prorsus esset suspensa. Non igitur mirum quod discrepat primum a tertio p. Chr. n. saeculo, nec, qui vel mediocri horum temporum instructus sit cognitione, magna diversitas eum fallere potest. Itaque primordia Caesarum id proprium habuerunt, ut a corrupta proximorum a. Chr. n. saeculorum eloquentia transitum pararent ad eam, quae post Hadriani principatum regnabat certis praeceptis circumscriptam. Quantum degeneraverit dicendi ars inde ab amissa Graecorum libertate, in quantas ineptias ac ludibria deciderit, cum miserrimo rerum publicarum naufragio infectus esset veri pulchrique sensus, id paene fidem excedit. Notus est inter primos vanae loquacitatis aucupes Hegesias, de quo Cicero iudicium posuit gravissimum: non quaeret, quem appellet ineptum, qui illum cognoverit. Nec lenius sensit Agatharchides, illius rhetoris levitatem ac petulantiam exagitans; pariterque hic Longinus invehitur in puerilem Hegesiae ludum. Eiusdem sectae scriptores frigidis commentis et figuris ornabant libros suos, neglecta fide et veritate narrationum. Iisdem erroribus sese contaminaverunt perversissimi historici, quos, modo novum quiddam et iucundum eloquendi fieret copia, absurdissimas res finxisse constat. Horum specimina quaedam in quarto commentarii sui capite scriptor collegit. Accedit locus insignis quo complures viros haud obscuros perstringit, c. III, 2 „*καί τινα τῶν Καλλισθένους ὄντα οὐχ ὑψηλά, ἀλλὰ μετέωρα, καὶ ἔτι μᾶλλον τὰ Κλειτάρχου· φλοιώδης γὰρ ἀνὴρ καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ' ἄτερ. τά γε μὴν Ἀμφικράτους τοιαῦτα καὶ Ἡγησίου καὶ Μάτριδος· πολλαχοῦ γὰρ ἐνθουσιᾶν ἑαυτοῖς δοκοῦντες οὐ βακχεύουσιν, ἀλλὰ παίζουσιν.*“ Longius etiam processit, qui de musca fabulam excogitavit mirificam, Clearchus, Aristotelis discipulus. In alio genere laboravit Phylarchus, qui narrationes suas solebat exaggerare. Contra Aratus, qui res a se ipso gestas perscripsit, curam in expoliendis quae composuerat nullam collocavit. Porro qui Aristotelem, Theophrastum, Aristoxe-

num exceperunt philosophi aut Stoicae aut Epicureae disciplinae addicti, omnis scribendi laudis expertes fuerunt. Tandem postquam Graecorum litterae turpiter degeneraverant, nonnulli pristinam in scribendo virtutem reducere statuerunt principes Atticorum imitando. Nec tamen honesta studia facultas aequabat aut voluntati successus respondit. Accidit etiam, ut eorum, quos haberent pro exemplis, virtutes parum assequerentur, contra si quid vitiosi praestantissimis scriptoribus inhaesisset, id arriperent. Unde factum est ut inferiores discederent e certamine cum adversariis inito quumque sana eloquentia iaceret, triumpharet ista litterarum barbaries. Ac nescio an Graecorum litterae iam tum praecipites actae fuerint, ut resurgere nequirent, nisi Roma, totius mundi tum moderatrix et refugium Graecorum, studium Atticae orationis suscitasset in pristinum honorem restituendae. Hic primus melioris rationis dux et magister extitit Dionysius Halicarnassensis, subtilis veterum scriptorum existimator. Is suis libris contentiones aequalium ad auctoritatem veterum in scribendo principum revocabat, neque ullam praetermittebat occasionem, quin illorum usum et praestantiam commonstraret. Eiusdem studii socius fuit Caecilius rhetor, qui priorum scriptorum monumenta studiose perscrutatus est. Quid quod eodem tempore Romanorum scriptores de compositionis legibus subtilius quaerere instituerunt. Quodsi Augusteum aevum hanc legem proposuit, ut ab optimis scriptoribus norma certissima peteretur, tanquam digito porrecto compellimur, ut libellum, qui est de sublimitate orationis, eidem aetati assignemus. Nempe scriptor eius consilium suscipere non potuit, nisi tum desiderium melioris compositionis hominibus fuisset iniectum. Iam primis illis Caesarum temporibus nondum ad certam disciplinam revocata erat ars rhetorica, sed multae patebant viae, quas licuit ingredi. Quamobrem optimo iure poscebatur, ut qui rectam sentiendi scribendique viam insisterent, perlegendis, interpretandis, imitandis praeclaris Thucydidis, Platonis, Demosthenis operibus, quidquid boni pulchrique esset, imbibe-

rent, inepta proximorum saeculorum perversitate reiecta. Contra si circumspicimus qualis sub Aureliani aetatem fuerit artis rhetoricae status et habitus, multi dudum prodierant rhetores, qui coniunctas vires in artem ad regulas et exemplaria spectata revocandam contulissent. Satis est primarium magistrum, qui inter omnes eminet, Hermogenem commemorasse.

Deinde totum dicendi genus quod in fragmentis Longinianis expressum est prorsus abhorret ab hoc commentario Π. Υ. Qui quidem non solum grandi oratione magnaque eloquentiae vi legentes rapit et ad altitudinem extollit, sed etiam iucunda varietate mirum in modum oblectat, insertis similitudinibus aptis et locis idoneis, quos subtiliter diiudicat. Contra fragmenta Longiniana tritis rhetorum institutionibus convenienter composita sunt, ita ut omnia ad praescriptam normam decurrant. Audire nobis videmur praeceptorem, qui doceat, non litteratum virum, qui summa insignium scriptorum admiratione captus alios velit eiusdem amoris participes fieri. Itaque fragmenta magnam ostendunt aequabilitatem orationis et placido flumine feruntur. Accedit etiam abundantia verborum, inprimis repetitiones, quibus eandem sententiam solet perspicuam reddere Longinus, morem Plutarcheum secutus; at praecepta de sublimitate iustam brevitatem et gravitatem Demosthenicae similem monstrant. Ut brevi complectar, utriusque cum indoles fuerit dissimilis, non mirum est etiam diversa genera dicendi horum in reliquiis apparere. Nonnullis autem in locis adeo sublimis fertur incertus, ut suo exemplo vim ac naturam elatae orationis optime illustret; velut in septimo capite de ipsa sublimitate sic disserit, ut nativum animi calorem libenter agnoscamus. Eiusdem ardoris exempla praebent prima c. IX. pars et, ubi ad optimorum scriptorum imitationem incitat, c. XII item comparationes inter optimos scriptores institutae, e quibus eminere videntur de Demosthene et Cicerone praeclare exprompta; imprimis autem laude dignum est ultimum commentarii caput, quod sensibus

doloris ingenuo scriptoris animo editis vehementer nos permovet. Ac recte quidem rem sic instituit, ut eminentibus locis grande dicendi genus reservet. Neque vero minus in aliis partibus assurgit, sed ubique velocitate legentem capit et sermone quodam incitato reddit attentum, et luminibus dicendi selectis orationem bene temperavit. Quod autem studuit, id felicitate sententiarum et ubertate consecutus est. Inter tot autem lumina primum advertimus formulas identidem intextas, quibus ipsum disputationis progressum distinguat vel in memoriam revocet, sollicite cavens ne lectorem ulla pars ingeniosi sermonis fallere possit. Dico talia, velut „*Θατέρου δὲ, ὧν εἴπομεν, λέγω δὲ τοῦ ψυχροῦ* etc. (c. IV); *Εἰδέναι χρή, φίλτατε, διότι* (c. VII); *Φέρε οὖν, εἴ τι καὶ ἕτερον ἔχοιμεν ὑψηλοὺς ποιεῖν τοὺς λόγους δυνάμενον, ἐπισκεψώμεθα* (c. X); *Ὅτι μέντοι ὁ Πλάτων — ἐπάνειμι γάρ —* (c. XIII); *Οὐκ ἄξιον ἐπὶ τούτου τοῦ τόπου παραλιπεῖν ἕν τι τῶν ἡμῶν τεθεωρημένων, φίλτατε* (c. XVII); *Τί δ' ἐκεῖνα φῶμεν, τὰς πεύσεις τε καὶ ἐρωτήσεις* (c. XVIII); *Φέρε οὖν, πρόσθες τοὺς συνθέσμους, εἰ θέλεις, ὡς ποιοῦσιν οἱ Ἰσοκράτειοι* (c. XXI); *Φέρε δή, λάβωμεν τῷ ὄντι καθαρόν τινα συγγραφέα καὶ ἀνέγκλητον* (c. XXXIII); *Καί γε τούτου, φίλτατε, ἀπρὶξ ἐχώμεθα τοῦ σκοποῦ* (c. XIII). Adde subsidium orationis per iucundam varietatem continuandae, quod interrogationes oratoriae praestant. Neque raro scriptor nomina substantiva per asyndeton cumulat, quorum usus multum valet ad properandum orationis cursum. De tot exemplis, quae in promptu sunt, haec sufficiant: *πᾶν τὸ ἀσμάτιον ἐπεὶ καὶ πένητα οὐ θαυμάζεις, ὡς ὑπ' αὐτὸ τὴν γλῶσσαν τὰς ὄφεις τὴν χρόαν...* (c. X, p. 29 ed. Jahn); *ἔτι δὲ τάχους, ῥώμης, δεινότητος* (c. XVI, p. 29); *καὶ προσβάλλον ὑπόνοιαν ἐνέδρας ἐπιβουλῆς παραλογισμοῦ* itemque paullo post infra *μάλιστα δὲ πρὸς τυράννους βασιλέας ἡγεμόνας ἐν ὑπεροχαῖς* (c. XVII, p. 38); *τὴν ἰσχὺν, τὴν πειθὼ, τὸ κάλλος* etc. (c. XX, p. 40). Sed omnes huius generis artes enumerare longum est. Omnino hic scriptor multis abundat formulis et artificiis, quibus lector excitetur et ad singulas observa-

tiones diligenter praeparetur. Velut „καὶ μία τέχνη πρὸς αὐτὰ τὸ πεφυκέναι c. II, p. 11. Θατέρου δὲ, ὧν εἴπομεν, λέγω δὲ τοῦ ψυχροῦ c. IV, p. 14. (Hic verbi λέγω usus, quod notiones illustres vel nomina scriptorum introducit saepe recurrit: velut eodem in capite (IV) ὅπου γε καὶ οἱ ἥρωες ἐκεῖνοι, Ξενεφῶντα λέγω καὶ Πλάτωνα). Ἅπαντα μέντοι τὰ οὕτως ἄσεμνα διὰ μίαν ἐμφύεται τοῖς λόγοις αἰτίαν, διὰ τὸ περὶ τὰς νοήσεις καινόσπουδον (c. V, p. 16). Ἔστι φιλοπονώτατος ὁ Εὐριπίδης δύο ταυτὶ πάθη, μανίας τε καὶ ἔρωτας ἐκτραγῳδῆσαι (c. XV, p. 33). His addere licet inter tot observationes usum illum, qui sermonem actuosum iuvat, verbi βούλεσθαι ad facultates animi translatum, velut ἡ ῥητορικὴ φαντασία βούλεται.

Contra Longini ars rhetorica nullum locum praebet, quo fervor animi accendi queat vel inflammari cogitatio. Totus enim liber praeceptis rhetoricis, definitionibus, partitionibus, exemplis continetur: siquidem omnia institutionibus eorum inserviunt, qui iustis orationis artificiis adversarios vincere vellent. Ab his minime talis expetebatur eloquentia, quae excelsis altisque sententiis inflammaret animos atque boni pulchrique sensu imbueret, sed quae simulacris vani splendoris caperet auditores. Loci testantur hi: „πολλὰ γὰρ τὰ κηλοῦντα τὸν ἀκροατὴν ἄνευ τῆς διανοίας“ (p. 305 ed. Spengel. I); „οὐ ψυχαγωγήσεις μὴ γοητεύων μετά τινος χάριτος καὶ ἡδονῆς“ (Sp. p. 305); „δεῖ δὲ ἐκ τῆς ἀκοῆς τὸν δικαστὴν λίχνοις τε καὶ ἡδείαις ὥσπερ καρυκείαις καὶ ὀφοποιΐαις, σκευασίαις τε καὶ προαγωγαῖς ἐπισπᾶσθαι καὶ προσάγεσθαι, ποιεῖσθαι δὲ τοῦτο χρὴ τοῖς θεραπευτικοῖς τε καὶ κολακευτικοῖς ὀνόμασι· ταῦτα γάρ εἰσι τῆς πειθοῦς φάρμακα, θήρατρα χαρίτων καὶ μουσικῆς τῆς ἐπὶ τὸ πείθειν ἠσκημένης.“ Quamquam concedendum est excellere multis ex eodem genere libris artem Longini, cum proprias suas dotes afferat neque uno tenore trita pervulgataque rhetorum praecepta deducat; nullo tamen loco videmus eam ad sententiarum granditatem aspirare. Quamcunque partem suscepit, eam prudenter ille quidem explicat, sed nusquam

altius assurgit aut amplam cogitandi materiam praestat. Immo videtur humi serpere Longinus, cum praeclara libri Π. Υ. facundia comparatus. Non equidem ignoro diversum esse munus eius, qui artem rhetoricam in usum discipulorum componere velit, a proposito disserentis de sublimitate orationis; aliam esse vitae civilis eloquentiam in foro regnantem, aliam placidam litteratorum hominum doctrinae. At dubitare licet, num qui ad expoliendos boni pulchrique sensus inesset, magnum veterum monumentorum numerum perlegerit eaque diligenter tractarit, ut quid praeclare vel vitiose dictum in litteris antiquis extet, probe diiudicare posset, idem rhetorum praeceptis operam dare voluerit ut notitiam omnium in publicos usus evulgaret.

Denique magnam orationis varietatem qua excellit commentarius Π. Υ. et Longinum superat, debemus in censum vocare. Nam ipsa verborum copia et formularum abundantia multumque variata sententiarum compositio manifestum facit, quanto litterarum usu scriptor sit excultus et expolitus. Idem longius processit et inventione novorum vocabulorum linguam ad suum usum accommodavit. Satis magnum verborum numerum ille formavit, quorum auctoritatem solus secundum Stephani Thesaurum tuetur; nec pauca sunt, quorum significationes novavit. Enumerare iuvat quae nullus alius usurpavit: *τὸ καινόσπουδον; ἀπαύξησις*, *ἁδρεπήβολος*; *ἀπακμή* (vigor decrescens); *συοφορβέω; βιολογεῖν*, *ἐποικοδομία; διαριστεύεσθαι* (de principatu contendere); *ποκοειδής; ἐναλήθης*; *ἀντισυμμαχεῖν* (vicissim iuvare); *προεμφανίζεσθαι* (ante apparere); *ἀνθυπαντᾶν; ἀγχιστρόφως* (subita conversione ac repentina mutatione); *ἀδιανέμητος* (quod non debet disiungi); *ὑψηλοφανής; ὑψηλοποιός; προσπεριορίζεσθαι* (simul complector c. 28, 3); *προσεπιθεᾶσθαι*; *κατασημαντικός; εὐπάλαιστρον; ἀναχοή; ἐκπάθεια* (affectus immodicus); *ἀποκύλισμα* (corpus ex alto loco devolutum); *ἐξέρεισμα; μικροποιεῖν; μικροποιός; κατάρρυθμος* (nimis numerosus); *ὀνομάτιον.* Notione vero peculiari praedita sunt haecce: verbum *παρατολμᾶν* translatum est ad audacter

dicta; ἄκρα λήμματα dixit Longinus de notionibus, quae eminentem vim habent, ac subtilius idem (XV, 10) intelligit sententiam quae ceteris argumentis additur. Porro (XXXIII, 4) τὸ σοφιστικόν dicit nimiam artis affectationem. Dein ὀγκοῦν τὴν λέξιν Steph. ad L. II. Y. 26, 2 dicit suaviorem graviorem digniorem reddere sententiam, de paraphrasi; παρατροπή de rivis e fonte ductis figurate XIII, 3; φαντάζεσθαι de delirante XV, 8; παραξύειν cum accusativo coniunctum ut sit, proxime attingo; διάστημα elatio sublimitas (δίαρμα); μικροχαρής (minutiis gaudens); προαποδιδόναι τὴν βάσιν dicuntur in l. II. Y. c. 41 auditores, quum ex protasi apotosin divinant et antequam orator dixerit, oratorem antevertunt; Ὑπερβατόν c. XXII (perturbatio ordinis naturalis verborum); κακόστομος de verbo, cuius elocutio molestum sonum reddit (c. XLIII); τὰ ἐξυβρισμένα (passive hic usurpatum verbum); κατχρχαιριάζειν passive; παρορίζειν fines describo. Rarissima verba sunt haec: κατεξανάστασις (semel apud Jamblichum); ἠθολογεῖν; τὸ ἔμπρακτον; δίαρμα; προσυπογράφειν; ἀντιδιατίθεσθαι; προσεισβάλλω; ἀβλεμὲς προσπίπτει; εὐπίνεια vetusta et simplex pulchritudo (apud Heliodorum); ἐλάττωμα (minutum vitium); ἄπτωτος; πολυμορφία; συνδιαφορεῖν pro συνδιαφέρειν; ᾠδάριον; ἐγκατατάττειν; χρηστομάθεια, ἐνσπαργανοῦν, νεοττοποιεῖν.

De reliquis orationis proprietatibus, quas in hoc scriptore deprehendimus, exempla nonnulla satis est enotare. Libenter enim utitur adiectivis et participiis cum articulo iunctis, quae vice substantivorum fungantur, velut πολὺ ἔχων καὶ ἐπίμονον ἀεὶ τὸ καῖον. Occurrunt etiam locutiones, quae ingenium, linguae Latinae sapiant, ut εἰς ἦθος ἐκλύεται, εἰς καταφρονησιν λαμβάνειν, ἐν καταλήψει τηρεῖν; παρ' ἄκαιρον μῆκος ἀναχαλώμενα (p. 38 ed. Sp.); ὑπ' ὄψιν τιθέναι p. 33. Minime rarus est usus praepositionis κατά cum accusativo coniunctae, ita ut coniunctio adverbii instar sit, velut κατ' ἐγκοπὰς καὶ σκληρότητας ἐπισυνδεδεμένα (p. 64). Praeterea cum scriptor composita eaque rarissima frequentat, tum decomposita satis multa finxit, ἀντισυμμα-

χεῖν, προεμφανίζεσθαι, προσπεριορίζεσθαι, προσεπιθεᾶσθαι. Aliud compositorum genus in priore parte substantivum aut adiectivum habet, ἠθολογεῖν, βιολογεῖν, συοφορβεῖν, ὑψηλοφανής, μικροποιεῖν, μικροχαρής. Multo magis admiramur translationes haud tritas, quae colorem ostentant insignem et artificiosum: ποκοειδεῖς τὰς ἐννοίας p. 34; ἐπεί τοι τὸ πανταχοῦ κώδωνας ἐξῆφθαι λίαν σοφιστικόν p. 43; ἡ περίφρασις ἀβλεμὲς προσπίπτει p. 47; οἱονεὶ ψυχήν τινα τοῖς πράγμασι φωνητικὴν ἐπιτιθεῖσα p. 48; ἔνθα τὰ πάθη χειμάρρου δίκην ἐλαύνεται p. 49; ὁ δὲ Πίνδαρος καὶ ὁ Σοφοκλῆς ὁτὲ μὲν οἷον πάντα ἐπιφλέγουσι τῇ φορᾷ, σβέννυνται δ' ἀλόγως, πολλάκις καὶ πίπτουσι ἀτυχέστατα. Omnino figuras subtiles et translationes ibi scriptor frequentat, ubi de virtutibus classicorum et generibus dicendi disputavit.

Contra Longinus notissima verba plerumque ponit, novatis abstinet, idemque locutiones (εἴρηκεν ἐγκώμια; δοὺς τὰ νικητήρια; οὐκ ἂν ἔχοι πρακτικῶς; ἀπόρως ἔχοι; ἀντιστρόφως ἔχουσα εὑρίσκεται) et figuras verborumque compositionem secundum communem usum scriptorum probat. Minores nervos raris metaphoris apud Longinum inesse facile constiterit, sermonem figuratum Π. Υ. comparanti: satis est attulisse hoc exemplum, καταμιαίνειν τὸ σῶμα τῆς λέξεως καὶ τὴν ὑφὴν τῆς παρασκευῆς Sp. ed. p. 306. Vidimus igitur librum Π. Υ. iucunda verborum et imaginum varietate distingui, non item quae Longinus reliquit. Hinc transeamus ad aliam dictionis differentiam valde conspicuam. Quamvis tanta sit anonymi eloquentia, ut plerumque legentium animos percellat, tamen in amplissimo verborum circuitu nihil nisi necessaria sectatur, nec quidquam redundare sinit. Est igitur brevitas Demosthenica quaedam in hoc commentario, quae reiecto languore, quidquid vim orationis auget, praefert et luminibus orationis exornat. Quo in studio longius progressus scriptor saepe copulae formas omisit, duriora etiam admisit: Εἰ μὲν ὡς ἕν τι ταῦτ' ἄμφω τό τε ὕψος καὶ τὸ παθητικὸν καὶ ἔδοξεν αὐτῷ etc.; τὸ γὰρ ἐν παντὶ ἀκριβὲς κίνδυνος σμικρότητος (c. XXXIII, p. 54). Recurrit

etiam nude positum adiectivum, ubi praedicati locum tenet, velut *καλὸν ἀναπλάττεσθαι ταῖς ψυχαῖς* (c. XIV, p. 31). Brevitatem haec quoque formula significat: *πῆ δὲ καὶ πῶς, ἐγὼ φράσω* p. 38.

Huic vero brevitati contrariam abundantiam orationis invenimus apud Longinum; id quod accidisse vel hanc ob causam miramur, quod angustis quibusdam terminis continendus fuit eius libellus. Inprimis affluit synonymis substantivis, adiectivis, adverbiis, ubi nihil nisi singularis notio debuit describi. Exempla cum multa sint in promptu, paucis defungar his: *ὅπου μηδὲ τοῖς φιλοσοφοῦσιν ὑπερεώραται κεὶ παρημέληται;* in proximis *περιττῶς διαπεπόνηται καὶ ἱκανῶς ἠκρίβωται; Τὸ δὲ ἔργον αὐτῆς σαφῶς τε καὶ καθαρῶς διελθεῖν γνωρίμως τε καὶ γνωστῶς τοῖς ἀκούουσιν; μετά τινος χάριτος καὶ ἡδονῆς μεταβολῇ τε καὶ ποικιλίᾳ τῶν ὀνομάτων* (p. 305 ed. Sp.); *τί γὰρ πεπατημένον καὶ πεπλυμένον καὶ μυριόλεκτον;* paullo post *δεῖ δὲ ἐκ τῆς ἀκοῆς τὸν δικαστὴν λίχνοις τε καὶ ἡδείαις ὥσπερ καρυκείαις καὶ ὀψοποιίαις, σκευασίαις τε καὶ προαγωγαῖς ἐπισπᾶσθαι καὶ προσάγεσθαι, ποιεῖσθαι δὲ τοῦτο χρὴ τοῖς θεραπευτικοῖς τε καὶ κολακευτικοῖς ὀνόμασιν.*

Sed haec sufficiant ubertatis Longinianae exempla; iam proprias quasdam dicendi rationes subiiciam, quae librum Π. Υ. legenti memorabiles visae sunt, neque apud Longinum deprehenduntur. Ac primum animadverti nimiam particularum frequentiam, quae molliendae orationi inserviant, velut *ὡς, οἱονεί, καθάπερ, πώς, πού, ἴσως.* Sunt *μειλίγματα* illa sermonis; quae quamvis per modestiam recte usurpentur excusandi aut leniendi causa, tamen expectatione crebrius recurrunt. Intelliges talia: *τοιαῦτα γάρ που; καί πως ἐπικινδυνότερα αὐτὰ ἐφ' ἑαυτῶν* c. 2, p. 11; *ὕψος δέ που καιρίως ἐξενεχθέν* c. 1, p. 10; *τοιοῦτόν πως καὶ αἱ μεταβολαὶ καὶ ὑπερβολαὶ καὶ τὰ πληθυντικά* c. V, p. 16; *τῇδέ που καὶ ἐπὶ τῶν διῃρημένων* c. VII, p. 16; *φύσει γάρ πως* eadem pagina; *Ἐπεὶ δὲ πέντε, ὡς ἂν εἴποι τις, πηγαί τινές εἰσιν* etc. c. VIII, p. 17; paullo post *δισσὰ δέ που ταῦτα τὰ μὲν*

νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως; τὰς ψυχὰς ἀνοίσει πως πρὸς τὰ ἀνειδωλοποιούμενα μέτρα c. XIV, p. 34; *φύσει δέ πως* p. 36; *ὅτι φύσει πως συμμαχεῖ* c. XVII, p. 38; *καί πως παραληφθεῖσα ἡ τοῦ πανουργεῖν τέχνη;* ibidem *ἐντεῦθέν ποθεν ἴσως* c. VI, p. 16.

Altera loquendi consuetudo pertinet ad sententias secundarias, quas articulus *τό* cum infinitivo permultis in locis indicare solet. Habet tamen ista ratio molestiam aliquam, quod adiectis verbis nimis diducuntur totius sententiae partes. Sic dura fit haec sententia: *φησὶν γοῦν ἐπὶ τοῦ Ἀγαθοκλέους καὶ τοῦ τὴν ἀνεψιὰν ἑτέρῳ δεδομένην ἐκ τῶν καλυπτηρίων ἁρπάσαντα ἀπελθεῖν* etc. (c. IV, p. 15); *ἀτὰρ δὴ κἀκ τοῦ λείψανα τῶν ἰλιακῶν παθημάτων διὰ τῆς Ὀδυσσείας ὡς ἐπεισόδιά τινα τοῦ τρωϊκοῦ προσεπιφέρειν* . . . c. IX, p. 23. — His duabus dictionis proprietatibus libet abundantiam Longini opponere, dico periphrasis formam hanc: *τὸ τῆς λέξεως, τὰ τῶν λέξεων, τὸ τῆς ἀλληγορίας.*

Denique discrimen utriusque in eo cernitur, quod scriptor commentarii Π. Υ. nonnulla sibi sumpsit, quae ab optimorum temporum usu recedant, non item Longinus. Huc pertinet ultra modum posita particula *πλήν*, ubi superior aetas probavit *ἀλλά.* Item ultra bonae Graecitatis consuetudinem cum affectu sententias ab interroganti particula *πῶς* exorditur. Exempli causa totum caput decimum quartum hanc licentiam quinquies usurpat. Pariter offendit particula *διότι,* cum expectatur *ὅτι*, duobus in locis, c. VII, p. 16. *Εἰδέναι χρὴ φίλτατε, διότι* . . .; c. XL, p. 64 *φανήσεταί σοι, διότι τῆς συνθέσεως ποιητὴς ὁ Εὐριπίδης μᾶλλόν ἢ τοῦ νοῦ.* Adde novitias locutiones, velut *ὑπ' ὄψιν τιθέναι* p. 33, *εἰς καταφρόνησιν ἑαυτοῦ λαμβάνειν, τὴν ἀκοὴν ὄψιν ποιῶν* p. 45; *αὐτοῖς χαίρουσι τόποι* p. 53; *ὑπὸ νόμον τάξαι* p. 54. Omnino studium insolentioris dictionis, cuius vestigia reperiuntur in libro Π. Υ., convenit primo p. Chr. n. saeculo, cum animi litteratorum hominum ad cognoscendas et persentiscendas optimorum scriptorum virtutes exardescerent. Contra tertium saeculum perfecit eam Atticorum imitationem, ut integritas

sermonis Attici revocaretur. Nec minoris est momenti consilium scriptoris, qui naturam sublimis orationis sibi proposuit explicandam.

Etenim rem difficillimam suscepit, qui iudicare de sublimitate orationis exemplisque eius naturam illustrare conatus sit. Atque nescio an tanta materiae difficultate factum sit, ut excepto Caecilio, cuius fragmenta tam amplitudine quam doctrina minoris esse pretii videmus, nullus alius hoc argumentum tentarit. Contra Longinus artem in publicum usum eo concilio misit, ut qui capitum rhetoricorum conspectum celerrime perlustrare vellent, iis liber in angustos fines conclusus ad manus esset (conferas quae ipse dixit: ed. Spengel. I, p. 309). Exponuntur autem quinque res ad dicendum maxime necessariae, quae sunt inventio, dispositio, elocutio, pronuntiatio, memoria. Forsitan hic silentio non praetereundum hanc Longini artem rhetoricam perturbato codicis vetustissimi ordine foliorum per multa saecula Apsinis libro intextam fuisse, donec Ruhnkenius genuino scriptori vindicavit. Qui quidem subtilis linguae Graecae existimator, quantum Apsinea a Longinianis genere dicendi differrent cum optime perspexisset, ad fulciendam suam sententiam duos locos (Maximi Planudis V, 431 et Joann. Sicel. VI, 119) protulit. Iam tamen cum in definiendis libri Longiniani terminis errasset, coniunctis Walzii, Finckhii, Spengelii studiis omnis dubitandi scrupulus exemptus est.

Iam quae composuit Longinus recte tribuuntur scriptori, qui summam operam in cognoscendis rhetorum regulis collocavit quique de quolibet oratorum artificio multa meditatus est. Itaque veterum libros eo fine perlegit, ut artis excolendae materiam pararet. Sed minime verisimile ducimus potuisse eundem de alia materia tam diversa ratione scribere. ut ne minima quidem appareat similitudo. Rursus vix credibile, potuisse eundem, qui commentarium Π. Y. edidit tam alacritate animi quam admirabili veterum scriptorum cognitione insignem, rhetoricam artem sic docere, ut nusquam eluceat vis cogitationis et exquisitum litterarum

iudicium, sed in spinis argutiisque defixus rhetorum disciplinam in brevissima capita collegerit. Accedit, quod illo de memoria capite cognoscitur, quam anxie Platonis vestigiis institerit Longinus, si quidem omnes fere rationes ab auctoritate summi philosophi repetit. Etenim cum tota argumentandi ratio Platonis est, tum copia verborum, usus imaginum, conformatio sententiarum ex illo pendet. Contra scriptor qui elatam orationem tractat, quamquam admiratione Platonis tenetur, minime tamen corruptus amore iudex quid laude dignum esset, quid displiceret in Platonica dictione mente integerrima perspexit. Praeterea disputationis Π. Υ. color tam est proprius, ut rara lectionis Platonicae vestigia deprehendantur. Hic enim scriptor ubique suum iudicium unice secutus est. Porro suspicionem movet, quod in capite *Περὶ λέξεως* pauca et plerumque minuta protulit Longinus praeter expectationem, siquidem elocutioni plurimum in exordio huius partis tribuit. Neque huius tenuitatis excusationem ab angustis terminis libro constitutis petere licet; nam in iis quae de memoria uberrime tradit nequaquam cum proposito coniuncta, intelligimus minus anxie sese continuisse scriptorem certis finibus, sed libenter evagatum in materia iucunda. Rursus de quo disserimus Longinus omnes ingenii vires contulerat in ipsam elocutionem, magnumque litterarum ambitum perlustraverat ad cognoscendam orationis vim, eius partes diiudicandas. Porro rhetorum more singula capita apte disposuit Longinus suisque locis collocavit accurate digesta, neque dubium relinquitur, quo quidque valeat. At scriptor commentarii Π. Υ. huic rhetorum normae minime sese subiecit, qui sublimitatem orationis qua latissime patet, nullis finibus inclusam aut per singulas partes via ac ratione tributam, fuse tradiderit. His adiunge quod monuit Vaucherus, aliter sentire Longinum de figuris eorumque usu, de hyperbato, de notionibus *ἀλληγορία* et *αὔξησις*, porro de sophistis eorumque meritis, aliter de classicis scriptoribus iudicare, neque eodem consilio magnorum poetarum oratorum philosophorum

rhetorum scripta commendare, quo factum sit ab commenticio Longino.

Tandem argumentum haud spernendum iis inesse videtur, quae sub libri finem de pace per omnes orbis partes constituta pronuntiantur, ab Imperatoris Aureliani temporibus prorsus aliena. Quod quam vere iudicemus, declarabit Vopisci locus, ubi quae Tacitus post mortem Aureliani protulit in senatu narrantur (Vop. 41): „Ille nobis Gallias dedit, ille Italiam liberavit, ille Vindelicis iugum barbaricae servitutis amovit: illo vicente Illyricum restitutum est, redditae Romanis legibus Thraciae: ille (pro pudor) Orientem femineo pressum iugo in nostra iura restituit, ille Persas insultantes adhuc Valeriani nece fudit, fugavit, oppressit.“ Quodsi tenemus per quinque tantum annos Aurelianum gubernaculum imperii tenuisse, paulo confidentius libellum a tertio saeculo licebit removere.

Hactenus primariis rationibus usi sumus; iam ad rationes accedimus pondere leviores, quae probabilitatis aliquantum addunt et ad reliquam demonstrationem supplendam faciunt. Omnium primum illud mihi videtur in censum venire, quod monumenta Longini vel inferioris ordinis recensentur plurima, praestantissimi libri Π. Υ. nec Porphyrius neque Suidas, aut alius facit mentionem. Neque causam comminisci licet, cur tertio saeculo nomen scriptoris premi debuerit. Facilius causam nominis celati divinamus, si libellus prodiit sub funestissimam Caesarum aetatem, qui post exitum Augusti imperium Romanum laceraverunt. Deinde nonnihil valet aliud silentium, siquidem eorum omnium, qui post Dionysium, Caecilium et Theodorum Gadarensem in arte rhetorica laudem sibi pararunt, nullum videmus commemoratum. Nimirum etiamsi scriptoris institutum ab illorum disciplina vehementer abhorruit, ut qui doctrinam rhetorum tralaticiam minime sequeretur, debuit tamen necessitudine quadam motus insignes litterarum progressus et orationis mutationes agnoscere, quibus saeculorum decursu usque ad Aurelianum novam faciem induerat eloquentia. Poterat etiam et sublimitatis et vitio-

rum affinium vis exemplorum e clarissimis trium harum aetatum scriptoribus repeti, atque haud scio an magis consentaneus fuerit iste delectus, quem aequales facillime caperent; modo citeriora saecula vidisset qui de sublimitate orationis commentatus est. Minoris momenti ducimus quod commemoratur Neronis colossus, et ludibrium nanorum aut Pygmaeorum, item sententias Buchenauio probatas de neglecto Telepho Pergameno, qui comparationem Platonis cum Homero instituerat, et de defectu oraculorum, quae Pythia post aetatem Domitiani non amplius vaticinata sit.

Satis mihi videor argumentatione mea demonstrasse, primo saeculo tribuendum esse librum Π. Υ., eximendum tertio. Iam reliquum est, ut de tempore angustioribus terminis circumscribendo quaeram.

Atque hac in re aliter sentio atque Buchenau, qui similitudine Tacitei dialogi nimium motus intra quinque annorum spatium (74—79 p. Chr.) huic commentario locum concessit. Equidem dubito num qualiscunque similitudo possit eo valere, ut artissimis finibus annorum natales libri possint includi. Quae autem extremo capite extant, *ὅρα δέ, μή ποτ᾽ ἄρα καὶ ἡ τῆς οἰκουμένης εἰρήνη διαφθείρει τὰς μεγάλας φύσεις*, iis repugnant bella Imperatore Vespasiano gesta. Tum enim accidit Batavorum rebellio, quae per Germaniae et Galliae magnam partem diffusa est. Eiusdem imperii initia viderunt bellum Iudaicum, quo Hierosolyma acerrime resistentibus Iudaeis expugnata sunt. Quod autem Buchenau sententiam suam ab odio Vespasiani adversus philosophos suscepto firmare conatur, cuius causa moverit scriptorem, ut nomen suum celaret, id apparet argutius quam verisimilius esse prolatum. Vespasianus enim eos tantum expulit sapientiae magistros, qui pacem imperii nimia loquendi licentia turbassent vel suspicionem movissent.

Equidem de iis temporibus cogitabam, quibus dominabatur Nero. Primum quod per totam crudelissimi tyranni dominationem ab omnibus fere turbis incolume mansit imperium. Deinde querelae scriptoris de libertate amissa et

turpissima servitute huic temporis spatio congruere videntur. Contra Vespasianus ita praefuit rebus publicis, ut civium amore dignissimus esset.

Superest ut propediem caput quartum evulgemus de critica conditione libri *II. Y.*